

abutimur: nos e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus, et ad usum aptas, et ad ornatum decoras: arborum autem consecione omniq[ue] materia, et culta, et silvestri, partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, et ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis septi frigora caloresque pellamus. Magnos vero usus affert ad navigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes undique ad vitam copiae; quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam; plurimisque inaritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges serimus, nos arbores, nos aquarum inductionibus terris secunditatem damus; nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus; nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.

Cap. LXI. Quid vero? hominum ratio non in coelum usque penetravit? Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus; ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus; defectiones solis et lunae cognitae praedictaeque in omne posterum tempus, quae, quantae, quando futurae sint. Quae contuens animus, accipit ab his cognitionem deorum; ex qua oritur pietas; cui conjuncta justitia est, reliquaeque virtutes; e quibus vita beata exsistit, par et similis deorum, nulla re, nisi immortalitate, quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens coelestibus. Quibus rebus expositis, satis docuisse videor, hominis natura quanto omnes anteiret animantes. Ex quo debet intelligi, nec figuram situmque membrorum, nec ingenii mentisque vim talem effici potuisse fortuna.

Cap. LXII. Restat, ut doceam, atque aliquando perorem, omnia, quae sint in hoc mundo, quibus utantur homines,